1437. d. 6. Decemb.

Ex MS. Arch. Nom. ... Collect. Dogelii
Ex Originali Arch. Nesv.

321.

60

List Panow Koronnych, ktorym upominaią Zygmunta, aby pomocy żadney Swidrygałowi, do Łucka niedawał, a przytym zapisuią się, Za Krolewicza Władysława, że doroszszy lat, wszystkiego pacta, ktore się postanowiły z Oycem Iego Jagiełłem W. X. Lit. potwierdzić, y poprzysiądz ma, pieczęci małych 4. de data w Srodnie Anni 1439 in Festo Sancti Nicolai przywiley stary.

Vincentius Dei Gratia, Sanctae Ecclesiae Gnesn. Archiepiscopus et Primas, Sbigneus, eadem gratia Episcopus Cracov: Ioannes de Tanczyn Sandomiriae, et Martinus de Slawsko Calisiensis Palatini, tenore praesentium recognoscimus, quibus expedit Universis. Quomodo de generali Conventione in festo Beatae Hedvigis proximé transacto, Siradiae celebrata ad Praeclarum Principem Dnum Sigismundum Dei gratia Magnum Ducem Lith: etc: in plena Informatione missi cupientes literas Inscriptionum inter Ssmum Principem Dnum Vladislaum Regem Poloniae divae memoriae Dnum Nrum gratiosissimum, Coronamque et Regnum ipsius ex una, et praeclarum Principem Dnum Sigis: Magnum Du: Lith: Russiae, etc: Partibus ab altera confectas, sanas, salvas, et integras conservare pro Ssmo Principe Dno Vladislao Dei gratia Rege Poloniae moderno, Lithvaniaeque Principe Supremo, et Haerede Russiae etc. Domino Nro gratiose praeclaro Principi Dno Sigis: praefato Magno Duci Lith: Russiae etc: et Ducatui Suo magno promittimus, Spondemus, et fide iubemus, tenoreque praesentium promittimus, spopondimus, et fide iussimus, quod ad Regnum Poloniae redeuntes Barones, Milites, Aliosque Clientes, cuiuscunque Status, Conditionis existant, Regni Nri Pol. Incolas, seu Gentes in Castro Lucki, et alibi ubicunque in Servitiis Ducis Swidrygał existentes Omnes Ssmus Dnus noster Rex modernus, Regnum, et Corona ipsius revocabit, et educet, atque revocari, et educi faciet, infra hinc et festum Conversionis S. Pauli proximé affuturum realiter, et cum Affectu, necde caetero eosdem Barones, Nobiles, Clientes, seu alias, quascunque Regni Sui gentes, Indigenas, Subditos, et Ipsi Dno Regi Nro, Regno et Coronae Ipsius adhaerentes ad Ipsum Ducem Swidrygał redire, et transire, seu etiam alias quascunque exteras gentes per Ipsum Regnum, et Terras Suas ire volentes, aliquo permittat, sed omninó Ipsum Swidrigal Ipse Dnus Rex modernus, cum omnibus Sibi Regno, et Coronae Suis Subditis, et adhaerentibus, etiam quacunque prae

fulgeant

Litwania

fulgeant Dignitate, et signanter Ducibus Masoviae, cum Ipsorum Subditis, et praesertim Duce Casimiro, auxiliis, Consiliis, et favoribus quibuscunque deseret, et omittet. Quinimo Ipsum Swidrigal toto posse infestabit, et persequetur. Arma, victualia, mercaturas, ceterasque res, quocunque vocabulo censeantur in Subsidium de Regno Suo, seu per Regnum in Lucko, vel alibi eidem Duci Swidrigal ministrari, et duci prohibebit. Contrarium autem facientes, seu quovis modo attentare praesumentes corrigere, et punire Dnus Rex debebit cum effectu, praemissa Omnia, et Singula Sub Fide, et honore, ac onere Corporalis praestiti juramenti quovis colore exquisito procul moto faciendo. In casu autem quo Barones, Nobiles, Clientes, seu aliae quaecunque gentes, et Subditi Regni Poloniae, de eodem Castro Lucko, infra terminum eundem non recesserint, nec revocati fuerint, et praedicta Nra promissa, Sponsiones, et Fide jussiones, suum debitum non possint sortiri, nec sortirentur effectum, extunc literas quas, in hac Conventione seu dieta a praefato Dno Sigismundo Magno Duce Lith: recepimus confectas super fidelitate praestanda per Capitaneos in Castris et Dominiis Magni Ducatus Lith: et Russiae per Ipsu Dnu Sigismundum Magnu Ducem Lith instituendas, sanas, et integras, eidem Dno Sigis: Magno Duci Lith restituere tenebimur cum effectu, et nihilominus etiam priores literas, et juramenta Inscriptionesque cum eodem Dno Sigis: Magno Duce Lith, alias in Grodno factas, praestitas, et conclusas, remanere volumus, et debemus. Promittimus etiam, spondemus, et fide jubemus quod Dnus Rex Noster dum ad debitam suorum Annorum pervenerit aetatem, secum, Suis Praelatis, et Baronibus eidem Dno Sigismundo Magno Duci Lith: juxta tenorem praesentium inscribet, hujusmodique suam Inscriptionis literam Sigillo Suae Mtis, Praelatorumque ac Dignitariorum suorum Sigillis faciet communiri. Harum, quibus Sigilla Nra praesentibus, sunt Appensa, Testimonio literarum. Datum, et Actum in Grodno, Feria Sexta in Die S. Nicolai Pontificis, et Confessoris Gloriosi. Anno Domini 1431.